I. N. J.

ORATIO INTRODUCTORIA AD GYMNASII WIIBURGENSIS RECTORATUM

DE EJUSDEM GYMNASII quarun[illegible]

ANNO QUINQUAGESIMO SIVE JUBILÆO.

Habita & dicta in *Gratissimorum* Hospitum Præsentia

die 21 Augusti Anni M. DC. LXXXX.

ore ac Stylo

PETRI CARSTENII
S. Theol. Lectoris Primarii
&
Archipræp. Wiiburgensis.

Excusa per DANIELEM MEDELPLANIUM
Gymn. Wijb. Typographum.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
VIRO Summæ Fidei
Et Satrapæ Inclytarum Provinciarum Wijburgensis, Kymmengårdensis & Novæ Arcis
EMINENTISSIMO, PERILLUSTRI
atq; *GENEROSISSIMO* DOMINO,

N. ANDREÆ

G. Lindehielm/

DOMINO in Högleſtadh & Ladewijk/ Mecænati & Patrono propenſiſſimo omnem felicitatem ſubmiſſa mente precor!

Eleganter Illuſtris Generoſitatis Tuæ inſignia Tilia inter duorum montium cacumina cum criſtata & perforata Galea eminens, virtutis induſtriæ & bene meritorum Tuorum æſtimium ſuppeditant.

Etenim ut *galea criſtata* capitibus equitum, partim terroris, partim ornamenti, partim defenſionis gratia imponitur, ita *galea perforata*, qua adverſum hoſtem proſpicitur, multis ſuis foraminibus Prudentiam Tam Nobilem celebrat & præfert. Tilia autem inter *colles exſurgens, eſt* 1. Familiæ Tuæ decor & ornatus, eamq;

eamq; valde commendat. 2. Perdurat in diuturnum temp⁹ & Tibi prolixam ætatem vovet ad exemplum ſvaviſſimæ Tuæ matris. 3. Facile commovetur propter ventum, & exantlatos labores ita explicat. *Montes gibboſi & colles* Tiliam Tuã *fovent & ſuſtentant ab utraq;* parte ſua ſummitate, cacumine, jugo & vertice aperta, *at ſuo fundamento* Tiliam *amplectentes* ut *oſtendant & demonſtrent* 1. Dei Divitias & Gazophilacia ex metallis & aquarum ſcaturiginibus. 2. Fluminum aquarum & ventorum cohibitionem. 3. Aliarum familiarum & populorum Diſtinctionem. 4. Vallium confectionem ex paſcuorum proventu & umbræ profeſſis gratia, 5. Securitatis præſtationem, 6. Siderum contemplationem accommodam & 7. Magnam montium fructificationem, utpote in quibus Tiliæ ſuppellex multo *felicius, quam in planitie aſſurgit largiſſima, quod* Prolem Tuam Uberem, Venuſtam & Generoſam deſignat. Aſſimilaris autem Tiliæ, Illuſtris Domine, quoad radicem, ſtipitem, ſuccum, ramos, flores & cortices. Radix Tua Chriſtus eſt mediante fide, huic inſertus, complantatus, in eo radicatus per charitatem es. Stipes Tua eſt firmum & obſtinatum propoſitum Deo ſerviendi, â quo Te non divellit ſatan, mors, angelus, non vis fluminum. Succus cordis Tui eſt Chriſtus; Succus vitæ, quem trahis ex arbore vitæ ſiphone fidei. Rami *ſunt* Tua opera Charitatis erga proximum, valdè robuſti, ad ſuſtentandam infirmitatem. Flores, fru-

ctus & folia, *sunt Tua Gratiosa conversatio honesta, pia, digna Evangelio, repleta fructibus justitiæ.* Cortex, Tua est devota oratio & patientia, quæ cor Tuum consolidat, ne adversitatis ventus Te corripiat & exsuccum faciat. Tilia Tua est 1. Altior in desiderio ad *Deum* & contemplatione cœlestium, quam montes; fundata in petra Christo ejusque verbo in petra humilitatis, fundata contra ventos tentationis, nimbos tribulationis, fluctus persecutionis: Est 2 pulcherrima, mutuo accipiens suam â Christo hominum pulcherrimo pulchritudinem, qua tegis peccati maculam. Est 3. Virens Tua Tilia per Christi gratiam & per fidei jugem exercitationem, quamobrem humiliter Tibi gratulor! Cæterum non sine causa times Tiliæ Tuæ, ne aliquando *1. decidat. 2. Exscindatur. 3. Eradicetur. 4. Exuretur*; *Sed solare* Te exinde, *quod* repullulare & regerminare *possit* ex odore aquarum Consolationis Tua Tilia. *Exemplo sit* Filii Tui natu Maximi Generosi Dn. Joachimi Lindenhielm Capitanei Magnanimi inopinatus casus & truculenta Mors, quæ ipsi in acie Sambravensi præterita die 21 Junii contigit, dum Galeatam suam Tiliam 6 ictibus & vulneribus mortiferis hostes deperdiderant. Adsvetus erat ille Beatus Capitaneus Tiliæ Tuæ Galeatæ per naturam, & omnes suos mores ac vitam composuit ad illam ulterius propagandam: unde literarum studio &, armorum militarium gloria basium

fuit

fuit Matris Generosissimæ & Illustris Tua expectatio. Deprædicat publica fama & laudat ejus *fortitudinem, circumspectionem, Disciplinam militarem, & Pietatem singularem*, dum hic Wijburgi ante quinquenniũ dextrè defunctus est Vexilliferi officio, sed etiam in peregrinum solum deduxit propriam cohortem Tuis, Domine Eminentissime, sumptibus comparatam, quam ea animi moderatione administravit, ut omnes commilitones ipsum suspicerent atq; venerarentur, sicut *Providum & benignum Patrem, & Patroni ejus de eo valde lætarentur.* Adsurrexerat jam Generosus Dn. Joachimus Lindehielm/ ad gradum Majoris in Legione, si per hanc acerrimam pugnam licuisset ulteriori vita frui: sed cum nulla reconvalescentiæ spes ex vulneribus acceptis reluceret & suppeteret, fortiter superatis Theologis Pontificiis ipsum in Religione avita vehementer infestantibus, supremo Numini reconciliatus, piè reddidit salvatori suo animam, postquam compleviſſet annos 22. & 8. menses. O cladem irreparabilem! O i acturam acerbam! quam, quis tam foret ferrei pectoris, tam â bona mente aversus, qui non reputaret inter atroces ærumnas & infortunia Illustres parentes & hanc Generosam Familiam, tanquam pestilens aliquod sidus affiantia? Sunt hæc Divinæ Providentiæ secreta consilia, ad quæ caligat & obstupescit humani ingenii acies, quæ mortales miseros submissè potius mirari, quam curiosè rimari decet. Atque ita Perillustris Domine Satrapa, Insignia Tua repræsentant, Beatos & Generosos Tuos surculos

culos Dn. Joachimum & Dn. Gregorium Lindehielmar, penes Tuam Galeatam Tiliam recubantes & omnes ulteriores ærumnas ex Fatorum serie avertentes, ut excelsos montes decet. Ergo vos O Excelsæ & Beatæ Animæ, quæ in juvenilibus annis deseruistis calamitates infelicium temporum, deseruistis Charissimos Vestros Parentes, Sorores & Fratres, non omnes mortuæ estis: effugiet manus Libitinæ Recordatio Virtutis Vestræ, Decus Nominis Vestri. In Heroum Sangvinem morti nihil licitum est. Vos Triumphatis de langvore, de invidia, de Fortuna deq; adeo morte ipsa. O Generose & Magnanime Capitanee! Lindehielm:

Martyrii partem quæ cum Jobo & ipse tulisti
In Cœlo partem gloriæ & ipse capis
Have! valeque in perpetes dies nobis:
Vivus Levamen, jam moriens gravis luctus.

Tu vero O Dominator generis humani, DEus Fortis & misericors, qui ex morte assignas Filios hominum & alios in vitam educis, expande alas Clementiæ Tuæ super afflictam hanc Tiliam Galeatam: Patitor Commendatos Tibi esse Hos Mœstissimos Parentes, *ut Duorum Filiorum jacturam Resarciant ex* 6. Filiorum & 3. Filiarum Superstitum Feliciter natorum & floride surgentium propitia fortuna; ut germinent in Decus Generosæ Prosapiæ, in Patriæ Prosperitatem & totius orbis Christiani emolumentum: Hæc nobis largitor O Deus propter sempiternam nominis Tui gloriam & benedictionem!

Has

Has cogitationes mihi ſubminiſtravit, Domine Satrapa, Gymnaſij Wijburgenſis annus jubilæus, (utpote quo die triſtem accepimus nuntium! de Filij Tui Generoſi obitu) in cujus celebratione cum meum Sermonem intellexerim pertinere ad rei memoriam, volui illum in publicum emittere: Quem ſicut non dedignata fuit Tua Generoſitas præſentibus auribus animoque favorabili auſcultare, ita & me certa ſpes tenet non fore eundem deſcriptũ illi odioſum & inacceptum. A mea & *Gymnaſii parte* debui Generoſitati Tuæ hoc officium, quæ me ita ſibi reddidit ſubjectum magnis benefactis, ut Generoſitati Tuæ multis nominibus maximis & copioſiſſimis ſim obnoxius. Excipiat itaque Tua Generoſitas gratioſa mente & facili manu hoc levidence munus. Æternus boni omnis largitor Deus benigna vice reponat in Priſtinam felicitatem Tiliam Galeatam Generoſitatis Tuæ, faciatque Illuſtrem Generoſitatem Tuam, cum univerſa proſapia Lindehielm Skytte-Hielmiana compotem omnis optabilis fortunæ & proſperitatis! Wiiburgo Careliorum 1. Septembris Anno 1690,

Illuſtris Generoſitatis Tuæ

obſequentiſſimus

PETRUS CARSTENIUS.

ORA-

rillustris & Generosissime DOMINE NDREA LINDEHJELM/ Satrapiæ Wiiburgensis, Kymengårdensis & Novæ Arcis Toparcha Eminentissime, Mecænas & Patrone propensissime.

ustriss: & Maxime Strenue Domine. N. FRITZWACHTMEJSTER Lib. Baro & Tribune Legionis Equitum Carelicæ Magnanime, Patrone â teneris perbenigne.

eneros issime & Strenuiss: Domine, N. ZACHARIA AMINAU Tribune pedestris per Careliam Wijburgensem Legionis Exercitatissime, Fautor & Evergeta certissime.

eneros a prosapia et Modestia laudatiss: Domini JUNIORES Lindehjelmar.

Nobilissimi, Consultissimi, Amplissimi Domini CONSULES Urbici, Dn. HERMANNE HARRIUS & Dn. PETRE Fremblingh

Dn. Camerarie ALEXANDER ANDREÆ Fili. Dn. SECRETARIE Satrapiæ PETRE GAVELI;

Prudentissimi Domini SENATORES,

Spectatissimi Domini CIVES,

Reverendissime & Excellentissime DN. DOCTOR EPISCOPE & Gymnasii Ephore,

DN. PETRE BÄNG/ Promotor & Antistes maxime honorande;

Pl. Reverendi, Amplissimi & Præclarissimi Domini CONSISTORIALES, Theologiæ & Philosophiæ LECTORES, Collegæ digniſſimi.

Reverendi, Clarissimi, Doctiss: & Humanissimi Domini, RECTOR & CONRECTOR Scholæ,

Dn. OECONOME Templi,

Dn. NOTARIE Consistorii

Dn. DIACONI in utroq; Templo.

Dn. PRÆCEPTORES Scholastici: Fautores Amantissimi. Tuq; dilectissima selectæ Juventutis corona.

ANnum *Quinquagesimum* hodierno Augustissimo die ingreditur *Hoc Regium Gymnasiũ*, Quod felix faustũq; sit Reipublicæ literariæ nobis singulis & universis salutare. Illuxit quippe tandem optatus ille dies, quo *festum natalitium hujus Gymnasij Wirjburgensis* peragitur idq; non vulgare, non anniversarium sed *Semisæculare*, atq; sic plane Singulare & quasi novum, quod non terminatur nisi qvinquagesimo Anno: quam festivitatem vix nemo eorum, qui nunc in officio vivunt vidit, nec porro visurus est, ut de ludis olim secularibus Romani voce præconis ad populum proclamare voluerunt. Hoc tam eximium & augustissimum festũ Celebrare jussit officij mihi jam injuncti ratio. Quamobrem sicut sub *initium novi anni* corda sunt circumcidenda, dij alieni abjiciendi, vestes peccatorum commutandæ cum Justitiæ vestibus, & nos mundare debemus, altareq; gratiarum actionis erigere sicut fecit Noac; imo quinq; Dei erga nos beneficia & officia meditanda, ut Angeli Domini is est, Jesu Christi præcessio, nostri in via custoditio, in locum quietis quæ est, sacra Dei domus, introductio, peccatorum nostrorum paterna punitio & nominis Dei in Angelo positio; Ita annus Jubilæus fuit festum seu solennitas apud Judæos Anno quinquagesimo quoque recurrens, quo intermittebatur cultura agrorum, omnes possessiones distractæ ad priores Dominos redibant, & servi Hebræi manumittebantur sic â Jobel id est, buccina è cornu arietino dictus, quo solenniter promulgabatur & deno-

tatur in S. Scripturis per annum beneplaciti, libertatis, redemptorum, nobis ampliſſimam materiam gaudendi & jubilum exhibet & porrigit. Non V. Jubilæum agimus vel Romanũ Ethnicum, in ludis ſitum & otioſis ſpectaculis: vel Romanum Pontificium turpiſſima indulgentiarum nundinatione infame potius, quam de meliore nota celebre: ſed Jubilæum agimus vere chriſtianum, hujus Regii Gymnaſii. Exordimur itaque eum â jubilo Prophetæ Davidis hoc modo: *Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo Salutari noſtro, Jubilate Domino omnis terra, cantate & exultate & Pſallite. Pſallite Domino in cithara, invoce Pſalmi, in tubis ductilibus & voce tubæ corneæ. Jubilate in conſpectu Jehovæ: lætentur cœli & exultet terra, moveatur mare & plenitudo ejus orbis terrarum & qui habitant in eo. Annunciate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus. Venite Magnificemus nomen Domini, adoremus ſcabellum pedum ejus, quoniam Sanctum eſt. Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur inea. Conſtituite diem Solennem in condenſis uſq; ad cornu altaris. Confirma hoc Deus quod Operatus es in nobis! Confitemini Domino quoniam in* æternũ miſericordia ejus. Quantum enim doloris triſtit æq? Nono Præterlapſo Majo conflagratio ædificij hujus ſplendidiſſimi? ut alia mala perplurima in

Viſce-

Viſceribus noſtris ſævientia taceam, omnium pectoribus inſevit neminem latere poteſt: Etenim, ut eximios quosq; Muſarum cultores vacua hic ſubſellia relinquere coegit, ita & ipſis Muſis ad tantæ calamitatis ſtuporem conticeſcere, fatalem quandam neceſſitatem impoſuit. *O! triſtem atq; Miſeram Gymnaſij faciem.* O! Magnam lugendi plangendique cauſam! His autem ærumnis, *Candidus hic dies & annus*, optatum impoſuit finem: nunc enim benigniſſimum illud cœlo exortum, ſplendore coruſcum, gratia Divina ſydus nobis refulſit, quo inclytam hanc Muſarum Palæſtram de cinere priorem ſupra eminentiam & commoditatem renovatam conſpicimus & erectam, hancque cathedram antea pingvioris eloquentiæ facundia longe multumq; celebratam, non modo diſertorum vocibus eruditis, verum & gratiſſimis infantum ſermonibus, clementiam divinam celebrantibus, ſvaviter perſtrepere animadvertimus. Quæ res quam grata, quam jucunda, quam exoptata omnibus Careliam inhabitantibus extiterit, longe mentem meam exſuperat. Porro Annum hunc Quinquageſimum Illuſtris & *Generoſiſſima Tua Generoſitas*, Exoptatiſſime Domine Satrapa & Dynaſta Wijburgenſis, Vos Tribuni & Chiliarchæ Generoſiſſimi Veſtra jucundiſſima præſentia ita exornat, ut non tantum homines ipſi, verum & animantia ratione carentia & res omnes ſenſus expertes, exundantis gaudij foras erumpere geſtientem lœtitiam, ore, oculis, manibus aliisque indicijs indigitare ſtudeant: & exinde

mult

multifariam cognoſci poteſt, quod me ſummæ tenuitatis conſcium in tanto illuſtri, ac conſpicuo ſummorum virorum concurſu, nulla doctrinæ ratio retinere & deterrere potuerit, quin in tantis his lætitiæ feriis vocibusque, quibus perſonare videtur tota Carelia Wiburgica, *quædam tanti gaudij enarrarem cauſas*; dixi quasdam; non enim ſingulas percenſere aut flore orationis conveſtire conor, quod mehercle & præcipere iniqvum & ſuſcipere foret temerarium. Meo certe me cum pede & modulo metior, longe imparem deprehendo ad tantam divinæ & S. R. M.tis hodierno die huic loco conceſſam clementiam & indultam benignitatem, & proloqui hic nec tutum, nec tacere ſatis honeſtum. Multa & diverſa de meo Rectoratu ſuſcepto hac hora, non timeo judicia, dum alius laudat meam voluntatem ſtudia literarum adjuvandi, vituperat alius gloriæ cupiditatem, tertius miratur audaciam, quartus vocat præſumptionem, meque onus longe majus humeris meis ſuſcepiſſe credit, ſub quo me brevi ſuccubiturum autumat. Atque ut varie de me judicant, ita etiam varia vota concipiunt, quidam ſucceſſum mihi felicem optãt, quidam irritos fore conatus cupiunt, alij bene ſperant & mihi congratulantur, alij peſſima quæque exſpectant & ominantur. Verum hic me *duo ſuſtentant* & animum erigunt, unum, me hactenus laborum fuiſſe patientiſſimum, quos neque deinceps ſubterfugiam: Nullum v. dubium eſt, quin ut inquit Poeta: Labor improbus omnia vincit. Alterum eſt ille antiqvus ac

lauda

laudatiſſimus Veterum Romanorum Chriſtianorumq́ atque aliarum gentium mos imperatoribus publice gratulandi: Arduum ſane onus, ſub quo, ni favor audientium, Regis clementia & divina cum primis benignitas Adſperaverit, omnino fatiſcendum erit. Et ego *Quod dum facio, Veſtras Perilluſtres Generoſitates,* Illuſtris Dn. Satrapa atque Tribuni, Tuam Reverendiſſimam Paternitatem Magnifice Dn. Epiſcope, *Vos* laudatiſſimos Conſiſtorii & urbis Proceres & Antiſtites celeberrimos, *Vos generis ſplendore virtutumq́ cultu viros Eminentiſſimos, Vos omnium ordinum exoptatiſſimos hoſpites, Teque modis omnibus ornatiſſimam, ſplendidiſſimamque Scholaſticæ juventutis Coronam* oro & obteſtor, ut mihi dicenti Veſtram clementiam, favorem, benevolentiam, ſtudium, attentionem & æquanimitatem; ad horulæ Spacium accommodare non dedignimini. Quod ſi non omnia vel eo, quo decebat ordine vel quo par erat, orationis cultu dixero, tribui velim anguſtiæ temporis, tum negotiorum varietati, quæ manum admotam ſubinde de tabula, quod dicitur dimovebant. Imo quod orationis ornatui deerit, Materiæ dignitas atque Majeſtas, quæ unica hujus orationis decus & precium, Veſtraque *auditores optatiſſimi*, cuam expecto æquanimitas ſupplebunt. *Gaudium* Gymnaſij in ſuo Anno Jubilæo deſigno per *ſuavem motum cordis, ob bonum præſens*

quod cor apprehendit & recipit. Estque pars amoris vel charitatis, quæ affectu, Desiderio, gaudio continetur. Gaudet qui invenit res amissas, qui invenit thesaurum, qui fructu laborum suorum fruuntur, gaudent parentes de felicitate liberorum & eæ res Materiam Gaudij locupletem gignunt. Sed dum Gymnasij exultationem ostendo *piorum Gaudium* selegi deprædicandum, quod non est in malo opere, non lætantur pij cum male fecerint, non exultant in rebus pessimis. Novit hoc Gymnasium impiorum gaudium esse *infelicissimum*, quia ultimo exitu clauditur, oblivionem inducens Dei quem offendimus & peccati quod commisimus, geminum damnum gemino animæ & corporis supplicio luendum; *Periculosissimum* & inquietum est illud impiorum gaudium, interpellat conscientia, numinis vindicta, omnia mundi gaudia: *Brevissimum* est quod una hora omnem abolet mundi lœtitiam. Tale non est nostrum; Sed Gaudet hoc Gymnasium de sua *fundatione & inauguratione*, quæ quidem ipsi Magnificentissime contigit Anno 1641 die Laurentij auspicijs Clementissimæ Reginæ & Illustrissimorũ Tutorum per *Illustrem & Generosissimũ* Dn. Ericum Gyllenstierna *isto tempore Satrapam & Præsidem Territoriorum hujus Provinciæ, postea Regni Senatorem & Dicasterij Regij Aboensis Præsidem inclytum & exoptatissimum, in Magna honestissimorum frequentia, qui Illustris Præses* condecoravit duorum globorum Cœlestis &

ſtis & terreſtris liberali donatione Gymnaſij Bibliothecam; verum etſi illa inauguratio non caruerit ſua laude & encomio, non intermittit tamen noſtrum Collegium ſuum gaudium in ſui ſitus & loci feſtiva deſignatione, dum effert ſe ſuo Titulo *Gymnaſium Wiburgenſe* Careliorum. Ecquidem *Wiburgum Urbs antiqua* Veteribus laudatur ob tria, quod habuerit Munitionem adverſus hoſtes & vim externam, ſicut eam ſæpius adverſus Moſchum exercuit: leges ad ſervandam concordiam: Religionem numinis in Templis. Sed & hodie hanc laudem conſervat conſtante pietate & timore Dei juſtitia & æquitate ut & juris moderatione per Regiam indulgentiam, oſtendens vires ſuas in concordia, & fidei unitate. eſſe ſitas. Teſtantur de hujus Urbis & Regionis celebritate ac antiquitate ſubſequentes hæ Regis Birgeri literæ, quas curia Wiiburgenſis inter multas alias humiliter in Originali hactenus reſervabit: *Birgerus Dei gratia Svecorum Gothorumque Rex omnibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem â Domino ſempiternam. Tenore Præſentium notum eſſe volumus, tam poſteris quam modernis, Nos de conſenſu & conſilio nobilium virorum Dominorum* Canuti Jonſon *Legiferi Oſtgothorum Thorvi* Kättilſon *& Johannis Brunckou Dapiferi noſtri, nec non & aliorum conſiliariorum noſtrorum dilectorum firmiter ſtatuiſſe, quaſi prolege ſervandum, quod*

quod mulieres omnes seu fœminæ nostræ ditioni subjectæ, juxta castrum nostrum Wiborg, vel in terra Careliæ habitantes, Sive conjugatæ, viduæ, continentes aut virgines plena debent pace & Securitate gaudere, Sicut in ipso regno nostro Sveciæ, in rebus pariter et personis acerbissima contra congressores nostra vindicta regia procedente. Quare omnibus & Singulis firmiter prohibemus, ne quis mulieres seu fœminas supra dictas injuriis aliquib⁹ gravare vel molestare præsumat, aut ipsis inferre violentiam aliquam corporalem, sicut regiam nostram evitare voluerint ultionem, Eam videlicet quæ in regno nostro Sveciæ prædicta pro Lege Servatur. Datum Ynninge Anno Domini MCCC. Sextodecimo, 1 die octobris. Testatur etiam Sigillum hujus urbis antiquitatem suam, dum vetustæ civitatis Insigna W duplex V 3 coronis ornatum & duplici crista condecoratum duo Sanctissimi Angeli portent adspiciant & intueantur. Laudanda proin Laudanda est hæc civitas, quia etiamnum studet virtuti, & sunt in ea multi probi. Deus conservat hanc quia Ecclesiæ & *scholis hospitia* præbet & Multi civium contestati sunt suam liberalitatem egregiorum liberorum concessione in album hujus officinæ, chorumq; martinianum quotannis magnis sumptib⁹ exornant. Fundam⁹ ergo cives gymnasiastici pias & hilares preces. pro hujus urbis prosperitate juxta monitum Jeremiæ C 29: v 7. ne eam destruat

obsidio

obsidio, expugnatio, captivitas, ne aretur ut ager, ne cubile sit bestiis & custodia volucris immundæ exosæ & omnis spiritus impuri, atq; adeo ne sit solitaria & desolata, omnibus artificibus destituta, non lugeant viæ & plateæ ejus, non destruantur muri & portæ ejus, non sint diversæ in terram: sed permaneat & stet & luceat in ea lux lucernæ semper ad finem mundi. Verum enim vero obstrepit huic gaudio *hodierna* urbis *miserabilis facies*, dum fundamenta ejus cadunt, sunt contrita & ab igne vorantur: Et combusta est âDeo hæc civitas propter peccata: nihil enim est quod servare & liberare possit civitatem, quam Deus perdere propter delicta civium constituit, non munitiones & propugnacula, non ciborum copia, non divitiæ seu opulentia, non arma & instrumenta bellica, non multitudo militum, non equitatus multus, non auxiliares copiæ, non animus & fortitudo civium, non prudentia sapientia consilium civium, non sedulitas custodis. Ah! *Horror, stupor & terror magnus* occupavit jam hanc urbem ob suum excidium, & luctus ingens eos exagitat qui olim Ex ea bona ingentia percipiebant. Sed revoca animum Urbs Wijburgum *veneranda, in statu tuo probroso, dum murus tuus est disruptus & portæ igne succensæ.* Cape solatia 1. ob *regiam arcem* quæ prope te & in medio tui est; stat illa & exultat in suo (1) usu propter

fuit ædificata, nempe, ut sit tutum præsidium adversus vim hostilem, ut contineat in obedientia hostes victos & rebelles subditos, ut sit in illa speculator oculatus, attentus, patiens laborum, qui non solum unum quemque admoneat sui officij, sed & videns lœta populo annunciet, qualem gloriam in te Digniſſime Domine ſatrapa ⸗INDEHJELM Dn. *Perbenigne hilariter* conſpicimus. Stat & exultat *arx Wijburgenſis* 2 in ſuis *Proprietatibus*, quod ſcilicet ſit in loco edito munita & inſtructa validiſſimis vectibus, & quia non facile expugnari poteſt, Secure agunt qui in illa habitant. Det Deus, ut *Illuſtris & Generoſiſſima* Domina *Engel Skytte hielm*, *Domina & Patrona mea ætatem colendiſſima*, Domina *pia ut Sara*, *prudens & manſueta ut abigail*, *comis & blanda fœmina Heroica & eximia ut Debora ac Jael*, Vitis mariti ſui Generoſiſſimi fertilitate 8 filiorum & 3 filiarum Generoſiſſimorum & Svaviſſimorum & connexione ac adhæſione, Jucundiſſima, ſecure & feliciſſime ibi agat, vi a & ſuis proſpiciat! Cui generoſiſſimæ Dominæ publicas perſolvo gratias, quod me deſtitutum omni re librari a in proximo incendio honoravit 30 pulcherrimorum librorum liberaliſſimo dono. Cape O! Wijburgum ſolatia 2. ob *Epiſcopalem ſedem in Te*, cujus divinas virtutes una nobiscum quotidie ſentis & guſtas: Nonne enim gaudium creat, quod licet Epiſcopus præditus ſit titulo *Viri Regiæ Majeſtatis fideliſſimi inq; Eminentia vivat*, tamen ita ſe ad noſtram conditionem humi-

militer dimittat, Pietatem, Castitatem, quæ non vota secunda excludit, eruditionem ac scientiam, sapientiam & prudentiam, Diligentiam investigandi morbos Ethicos, confutationem hæreticorum, Hospitalitatem, Manisvetudinem, orationem pro suo Clero, vigilantiam & curam in officio, constantiam in administrando & Docilitatem pro virili exercens & usurpans, unde vocatur apud S. Patres Episcopus Apostolorum successor imo ipse Dei Apostolus, quod Apostolorum doctrinam sequatur. O Dignitatem vere lætam & gaudio plenam. Sed & per *Residentiam Episcopi* multum gaudij & Lætitiæ resultat in civitate ex tot sacerdotum, Pastorum, Diaconorum accursu, synodis & actibus sacerdotalibus. Electus enim est Episcopus & cæteris sacerdotibus præpositus, in schismatis remedium. Porro sicut Episcopus est ἀπὸ τῦ Ἐπισκοπεῖν quod significat speculari seu diligenter inspicere in rem aliquam & personam, atque ita sedulo eam curare, indeq; Magistratus apud Athenienses & ciceronem vocatur Episcopus; Ita lætamur omnes impense de tua non solum Episcopali Residentia Reverendiss: Dn. Doctor Bâng Promotor Magne & Patrone honorande per novennium, sed quod etiam hunc jubilæum annum Gymnasio procuraveris tua vigilantia & cura! O pulchrum factum! O! Magnum Theologum! Ulterius excitaret magnum gaudium de se hoc Regium Gymnasium Wijburgense, nisi ad majora ipsi esset progrediendum. Humili autem voce in memoriam prius revocat *beneficium* aliquan-

do *gratum* huic urbi in magno periculo versanti præstitum, dum duæ *cohortes Gymnasij hujus civium* Anno 1656 ad 4 Maij exiverunt in mœnia, muros & vallos contra Russos, tum patriam infestantes ac urbem hanc terrore panico percellentes, atque dum multi honesti viri aufugerent & res alio alportarent, *defenderunt* civitatem continuis *4 Septimanis muniendo* per muros & aggeres firmissimos, profundasq; fossas, procurarũt annonam & apparārunt arma, *Propugnando* ne muri dejicerentur, ne cuniculi ducerentur, nam illis occurrerunt ducta fossa profunda, hostemq; ab urbe *amovendo* & avertendo bombardis, lignis incensis & alijs; Hinc omnes Gymnasiastæ prandio Regio in arce sunt excepti atque ibi 13 ex illis persvasi â tribuno Buurmeister & Commissario Rosendaal abiverunt in militiam & prælium in Rautus ubi 14 Julij *per cruentam pugnam* â Russis victoriam reportarunt cum alijs fortissimis viris pulcherrimam, atq; die 16 Julij redierunt & ad studia sua vicissim reversi sunt 1. Augusti, postquam rebus conclamatis & perditis animos, & vivacitatem restaurassent, uno saltem ex suis trucidato in ipsa acie & Vexillum fortiter defendente: quorum nomina ex Gymnasij Matricula sunt sequentia, sicut propria manu illa annotaverat Beatæ memoriæ primarius Lector Theologiæ & Archipræp. Wiiburg. Mag. Michael Watrangius, Nimirum: Olaus Matthiæ factus est Capitaneus

Matthias Hammermannus Vicarius.

Si-

Simon Kehrt Signifer.
Clemens Bartholli ſignifer.
Barthollus Simonis ſignifer, cæſus in acie & plumbo trajectus per caput.
Andreas Matthiæ ſignifer,
Sigfridus Matthiæ,
Hinricus Benjaminis, Gregorius Thomæ, Daniel Virgilij, Laurentius Matthiæ, Andreas Balck/
Nicolaus Arvidi, quorum Nomina, credo æternitati ſunt Sacrata: ſed nobis

O quam jucundi ſunt hi acti labores. Verum hæc commemoratio eo pertinet, ut ſignificet *Gymnaſium Wijburgenſe erga* Sacram Regiam Majeſtatem Sereniſſimum Clementiſſimumque Regem, Inſtauratorem, fundatorem & Altorem ſuum benigniſſimum mentis ſuæ ſubjectionem. Non vacat exterorum Regum Præclara facinora in ſuas Scholas prolixe commemorare, cum videamus multos noſtros Imperatores omnibus corporis & induſtriæ nervis contendiſſe, ut religionis cultus & literarum ſtudia in Republica noſtra vigerent & ſumma omnium admiratione efflorescerent. Quo laudis ſplendore cum alios innumeros, tum imprimis S. Ericum Sveciæ Regem miris modis excelluiſſe noſtratium rerum Scriptores luculenter teſtantur: Qui finnonibus non Regni Sveciæ ſolum, ſed & fidei Chriſtianæ hoſtibus immaniſſimis fortiter devictis, Chriſtianiſmum imperavit, & Scholas erexit Ubſaliæ & alibi. Wijburgi viguit jam diu inſignis Schola bonarum literarum

rarum officina, quæ aliquot centum ſcholares aluit, unde viri inſigniter docti prodiere: ſuperiori ſeculo Præfuit huic ſcholæ ut Theol. Lector Rev. virtute & Eruditione *conſpicuus* VIR, *Simon Johannis* â *Rege Carolo* 9. huc miſſus, *cum antea* â *Rege Guſtavo* Primo & *Johanne tertio* fuiſſent ei præfecti Mag. *Chriſtianus* Bartholli Wijburg. Mag. *Enevaldus* & *Johannes Olai* qui poſtea facti ſunt Paſtores hujus Civitatis. *At Chriſtina Regina* ſtatim poſt mortem Magn. *Regis Guſtavi Adolphi* cœpit Clementiori oculo illam adſpicere, & ampliare egregio ædificio & ampliſſimis docentium ac diſcentium *Privilegiis*. *Et quid dicam de Moderno Sereniſſ.* & *Clementiſſ. noſtro Rege ac Imperatore* qui ad conſervationem Eccleſiæ & Reip. non ab hominibus natus, ſed â Deo datus merito exiſtimatur. Etenim quam invicto animo Eccleſiam Dei vindicavit: Quanta armorum contentione & felicitate acerrimos hoſtes ad religionẽ labefactandam & evertenda Muſarum caſtra in ipſa regni viſcera ante decennium & quod excurrit irrumpentes profligarit! Quanta benignitate exulans & pene collapſum hoc Gymnaſium revocarit ad labores & priſtinam ſedem additis præmiis, & Clementiſſima Confirmatione in Solenni ſua coronatione Anno 1675. Cujus modi *munificentiam* in hoc triſti incendio erga hanc literarum officinam declararat nuper, dum *trabes, aſſeres* & *lapides neceſſarios* ad hoc ædificium benigniſſime contulerit, nulla Orationis copia,

nul-

nullo diſerendi artificio, aut actionis elegantia non dicam exornari; Scd ne enarrari quidem poterit. Teſtatur id ipſum Memorabilis Nova *Eccleſiæ Ordinantia*, Teſtatur quotannis ſtipes Scholaſtica Sex ſolidorum argenteæ monetæex uno quoque prædio Rurali. Teſtatur noſtra Typographia, *teſtatur hæc ipſa* Solennitas quæ *Illius Majeſtatis* auſpiciis hodierno die in hoc *Illuſtrium & Præclariſſimorum hominum conſeſſu celebratur*. Unde ipſæ Muſæ *Invictiſſime Rex*, quæ intra Regni Tui fines commodum hoſpitium adeptæ ſunt, pro tanto, tamq; divino beneficio, immortalem tui nominis memoriam ad omnem poſteritatem ſe transmiſſuras ſubjectiſſime pollicentur. Quantumq; etiam præconia noſtra valebunt, carminibus vives tempus in omne meis. Enim vero quis noſtrum tam ingratus? Quis ab omni humanitate *tam alienus* exiſteret? Qui hoc *Sereniſſimi Clementiſſimi noſtri Regis Regimen & ſempiterna in Rempubl. Chriſtianam & civilem beneficia non admiretur aut Magnifaciat*. Nihil hic deſideratur, omnia procedunt ſupra vota & intelligentiam noſtram. Sed ſicut ad Regem ingredi in atrium interius, nemini qui non eſſet vocatus, fas *erat apud Perſas, ita ſit mecum, quando* Clementiſſimæ & Sereniſſimæ Reginæ Ulricæ Eleonoræ noſtrum gaudium devotiſſime attribuo. Etenim *ante triennium* Specialiter diſtrictum Wijburgenſem & hanc urbem, imo ipſos *Gymnaſij Alumnos ut nutrîx Eccleſiæ, ut Regina Laudatiſſima, inſtar Reginæ Sabæ & Reginæ Eſtheri* noſtram famem Clementiſſime

issime Misertus subministravit *mille imperiales s. tonnas siliginis ad* sublevandam miseriam nostram! O Regiam liberalitatem & Munificentiam æternis præconijs celebrandam. Pulchre Imperator Tiberius ad Reginam suam dicebat; Tam diu Regio fisco non defuturam pecuniam, quamdiu pauperes accepturi sint Eleemosynas. De Theophania Cæsaris Otthonis. 2. Conjuge pulcherrime ita narrat Historicus:

Cæsaris Otthonis conjux Veneranda secundi
Pauperibus columen præsidiumq; fuit.
Inclytus hanc conjux Cæsar persæpe reprendit
Prodiga quod nimium munera danda foret.
Hoc prolet & vincat; Mendicus is inter egenos
Pannosus sedit munera parva petens.
Conjux cum venit Paschali tempore amicta
Vestibus auratis purpureisq; pia:
Cæsar; Nudo Manicam, quæ fulsit ab auro
Hanc mihi pro magna despietate, rogo.
Abscidit hanc subito, mendico donat egeno
Non Dominum hac credens veste latere suum.
Cæsar nox abiens, Vestem mutavit egeni
Cæsarea assumpta Veste nitente sibi.
Accumbens Mensæ Sancta cum conjuge Cæsar
Cæsar Mendicus qui modo egenus erat.

Hue

Huc ait O conjux, Vestem mihi profer, amicta
Qua modo fulgebas templa sacrata petens.
Hic trepidat metuitq; sibi Sanctissima Conjux
Quod manica abscissa tunica manca fuit.
Instat cum Cæsar, Vestis profertur, ut ante
Integra, cui non pars ulla resecta fuit.
Miratur Cæsar, conjux miratur & ipsa
Nam Manicam abscissam novit uterq; pius.
Territus hinc manicam Cæsar produxit & illam
Mendico conjux quam dedit ante sibi.
Quo motus, pia, Miraclo, permisit ut Uxor
Pauperibus vellet quæ bona cunq; daret.

Ita fœcundus ager Pauperum cito reddet Tibi Regina Augustissima multiplicem fructum & nos omnes, nostræ Ecclesiæ nostrumq; Gymnasium immortalem *submisso pectore debemus & habemus gratiam pro hac materna misericordia. O Hortum Benedictum! O Medicamentum adflictorum! O Monile Dei! O Vestem Christi!* Ilu Regina Ulrica Eleonora. Adsurgit Illa Regina altius dum omnes Senes Juvenesq; omnes perlustrant & conspiciunt *perfectum Exemplar bonæ educationis & optimæ informationis* In Serenissimis Celsissimisq; Regni Principe & Princepissis Hæreditariis, qui *ut vere sunt* Regis & Reginæ *Potentissimi liberi,*

ita quoque immunes â tributo, *omnes alios liberos antecellunt* formæ elegantia & animorum cultu. Quin igitur gaudeamus fenni, quin exultemus Carelii, quin lætemur Sveci, quibus talia contigere felicitatis fulcra. O Sereniſſimi Celſiſſimiq; Principes, vincite hoſtes *armis*, cives *animis*, corvos *annis*. Det vobis Deus *Largam* manum, *lætam* mentem, *longam* vitam! *Imo* Sereniſſime Princeps Regie Carole 12 Domine Clementiſſime: Dum Sylvæ frondent, Anni dum vertitur orbis, creſce, vireſce, feneſce, quieſce, niteſce! Ah me miſerum quid ago? cavebatur olim ne qvis incultus aut horrens & veluti luctuoſus compareret coram Rege; At hodie *Gymnaſium noſtrum & ego eius indignus Rector* ſqualidi & deformes prodimus, confiſi Danielis Prophetæ Exemplo, qui Regem aditurus petiit â Præfecto Satellitum, ut introduceret ipſum coram Rege, quod etiam ille præſtitit: nam ad Regem non habemus acceſſum niſi per eos, qui autoritate & gratia pollent apud illum. *Proin Te Convenimus* Sacræ Regiæ Majeſtatis fideliſſime Vir & Dynaſta atq; Toparcha hujus loci *Eminentiſſime*, Perillustris & Generoſiſſime Domine Andrea Lindehielm Domine Gratioſe, debentes Tibi gratiarum actionem maximam quod ad nos accedere non detrectaſti, Satrapiam hanc tortuoſam & obſcuram, in humeros tuos dirivare paſſus fuiſti, & pro hac pro-

ingentes labores & molestias devorasti, Tibi itaq; quemadmodum in exoticis laudabiliter peregrinando, cum magnis & doctis viris familiarissime conversando, immortale decus parasti; Ita & in Patria singularis eruditionis & prudentiæ, assiduitatis & vigilantiæ notam conciliasti: Tibi carmina pangimus, Declamationes recitamus, Disputationes dedicamus, Tui imaginem merito non tantum in parietibus appingi curamus, sed cordibus nostris insculptam perpetim venerabundi circumgestamus, si ut cœpisti porro noster Patronus & Mecœnas manere volueris, Nostroque Gymnasio pro Tua sapientia multa ornamenta â Rege nostro Clementissimo impetraveris & procuraveris. Accipe igitur nostram gratitudinem pro tua ope & mansvetudine, â nobis, & si quæ futura est, sera posteritate.

Tu quoq; Regiæ Majestatis Fidelissime VIR *Reverendissime* Domine Episcope, Fautor & Pater omni officio colende, non exiguam meruisti gratiarum actionem â nobis, â posteris, toto Musico choro totaq; Carelia, quoq; una cum *Illustri* Domino Satrapa, omnem moveris lapidem ad exornandum hocce Gymnasium. Typographia Gymnasii Tibi soli debetur & est illa res omnium, quas tum nuper in procurando Regio beneficio ad hoc ædificium perficiendum, tum olim in Academia & hoc Episcopatu patrasti, non minima; Sed vel inter maximas referenda; inter maximas laudatissima; Deus Propterea sicut cœpit, Tibi Tuisq; in seram posteritatem benedicet & omni felicitate vivum

mortuumq; mactabit! Faxit Deus, ut reipsa nos & tota Carelia tam actos ac gratos, ut merito debemus, declarare valeamus adversus omnes bene meritos.

Unde vos omnes & singulos cujusvis ordinis ac status Auditores & Spectatores Illustres, Generosi, Nobilissimi, Pl. Reverendi, Consultissimi, Spectatissimi Humanissimi atq; Doctissimi, qui actum hunc Rectoratus Vestra cohonestastis, & exornastis præsentia, Vos inquam omnes non possum dimittere sine gratiarum actione. Vobis igitur omnibus ac singulis totius Gymnasii nomine gratiam habeo per magnam, agoque maximas, quod aliis curis ac negotiis tantisper sepositis, non tantum nobis, hanc gratiam & favorem præstare, verum etiam S.R. Majestatis instituto & ordinationi in hac Rectoratus mutatione obedientes esse non neglexeritis: Si quid commodi ex hoc nostro Gymnasio, de quo tamen bono cum Deo non dubitamus, redundare poterit; Nos uti obligatos & obstrictos, ita ad vobis vicissim gratificandum jugiter propensos atqve paratos invenietis. Quoniam vero Sathanas & mali homines hoc Gymnasium cupiunt turbare imo convellère, affingentes bonis Gymnasiistis hoc Horatianum.

Nos numerus sumus & fruges consumere nati
Sponsi Penelopes, nebulones, alcinoique,
In cute curanda plus æquo operata juventus;
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies &
Ad strepitum Cytharæ cessatum ducere curam.

Idcir

Idcirco pœnitenti corde Te precamur æterne Deus Pater Domini Nostri JESU CHRISTI, ut dilicta nostra, quibus tuam iram sumus meriti, propter sangvinem & mortem unigeniti filii Tui Domini Jesu Christi Paterne nobis Condones, Neqve nobiscum agas secundum peccata nostra neq; secundum iniqvitates nostras retribuas nobis. Largire O Deus ut Gymnasium hoc Wiiburgense celebretur per totum orbem, & qva *studia Theologica & Philosophica non cedat* Gymnasio Gedanensi *& Gothano, Sed cum* Arosiensi, cui illud *Rex Carolus Gustavus Gloriosissimæ memoriæ in omnibus* assimilarat, amice conspiret! Ante omnia vero largire| O Sanctissima Trias, *ut pietatis* sit & maneat officina, *probitatis & virtutum* seminarium; Ut te cumprimis, sine quo omnis cognitio vana, Sobrie & pie cognoscat; Et res deinde utilitati Reipublicæ servientes juventus addiscat, Supplicem se coram te prosternit tota Christi Ecclesia; & quum sine tuo nutu nihil possit, successum & benedictionem â te solo poscit atq; *expectat*. Supplicem se prosternit Regia Domꝰ, in genua procumbunt subditi: Nobiles, clerici, laici: Omnes in hac *Careliæ provincia* Charissima sua pignora Tibi in laudem & gloriam patriæque emolumentum in hoc musarum sacrario studiis devovent Tibique consecrant. Supplices se coram Te prosternunt Docentes, Abste omnem laborum suorum fructum expectantes. Supplices se coram te prosternunt discentes

juve-

iuvenes lectissimi, Studiorum suorum protectum tibi soli tribuentes, O largire, largire omnipotens Deus, ne vota hæc nostra unqvam irrita reddantur. Protege & fulci potenti tua dextra Clementissimum nostrum Regem cum Sereniſſima Regina Matre vidua! fulci & protege *Clementissimam Reginam cum principe* & Principissis hæreditariis celsissimis & florentissimis! Sospita omnes regni ordines & status militemque nostrum. subleva divino auxilio *nostrum D: Ioparcham* & omnes in eminentia publicisqve officiis constitutos, & *Gymnasii hujus iubilæum* corona felicissimo successu, donec hac vita defuncti perveniamus ad *civitatem illam Dei viventis, ad cælestem Hierosolymam, ad innumerabilium angelorum cætum, ad concionem primogenitorum, qui in cœlis conscripti sunt, & adspiritus justorum perfectorum; atq; una cum his sabbatum ex sabbatho iubilæum ex iubilæo cum perenni iubilo celebremus canentes iugiter*; Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Zebaoth, Cui æterno & immortali Principi Seculorum invisibili, Soli Sapienti Deo, Regi Regum & Domino Dominantium, sit laus honor & imperium, Sempiternum,

AMEN

IN ORATIONEM INTRODUCTORIAM
DE ANNO JUBILÆO
VIRI
Admodum Reverendi Præclarisſimiq;
DN. M. PETRI CARSTENII Archipræpoſiti Wiburgenſ. Meritisſimi, h. a. Rect. Gym. Regii Vigilantisſimi.

Omne tulit punctum qvi iunxerit utile dulci,
Oblectans prodeſt, utile, dulce Sonans,
Nec non Flexanimam Docto sermone suadam,
Jungit, & in verbis utile ubiq; serit.
Clari igitur vatis Doctos pervolve labores:
Commoda (crede mihi) Lector amice feres

Amoris & honoris conteſtandi
Gratia appoſuit.
MAGNUS LAGHE
L. L. Ord.

Illucens. Iterum. Juveni Jubar. Imminet. Inquam
Jubila. Jucunda. Inſpirans. Inq;. Ilia. JESUS.

PErcelebri. PETRO. polyhymnia. pulcra. peroptat.
Pacem. perpetuam. pariter. proſperrima. πάντα.
Paſce. precor. populum. poſtremò. petra. perennis,
Permaneas. patriæ. paſtor. pulcherq;. probatus.
Poſtq;. poli. Paſtor. pia præmia. participabit.
Præconi. pulcro. populi. puerúmq;. parenti.
Præpete. pangebat. perpauca. poemata. Pennâ.

MATH. MARTINIUS.
Tavaſt-Finno. Log: & Phys:
Lector Wiburgen.

*RE*ctoris munus CARSTENI Perreverende
Suscipis, insimul ac dogmata docta satis
Profers; O utinam fausto tibi sidere tanta
Contingant munera, Corde animoq́ ! precor !

LAURENTIUS STACHÆUS
Lect. Math. Ord.

Himmelen. unne. wär. Kung. Swea. lyckliga. länge. regera. Rådliga. den. höga. Thron Swea. Noo Gud. städze. beware. Kunglige. Fägnade. Nåd. Jag. Underdånliga. Wördar. At. Jag. Hålles. J. Wärd. Och. Musæ. Däggias. J. Norden. Musæ. Glädia. Sig. Högt. Dem. Swarar. och. Hela. Carelen. Gud. Wällsigne. wär. Kung. Som. städiwia. de. Booklige. Konster. Skalder. och. Ewige. Tack. Skola. Gud. och. Kungen. til. Åhra. Dagliga. Höras. J. Norr. Tills. Himblen. smälter. J. Heta.

EN iubilæus annus ! En gaudii concursus ! Jucundè personat Carelia & svaviter exclamant Musæ, quod In Ipso Interitus articulo, suum 50 Annorum, refovente Per Gratiam Calidissimi Numinis Clementiâ Sereniſſimi Regis è cinere Wiiburgi Resurrexit, & suis restitutum est Domicilium. sit Clementissimus Rex nobis auspiciis æternum augustissimis superstes ! Vivas Perillustris Satrapa Domine Lindehielm/ apud Glorioſissimum Regem nostrum sidus splendidissimum! Feliciter Faustevve Floreas & vigeas Per qvam Rev: Domine Archipræpoſite noſter Curator noſtrumque Decus. Tibi demum quoque poſt hæc caduca det Deus, ut inter Sanctos sicut stella in sempiterna splendescas Secula !

Ex animo vovebat Wiburgenſium
& suo nomine
PETRUS FROLANDER:

Certæ potissimum causæ gratulandi momenta mihi subiecerunt; ut lætarer vehementer de Gymnasio nostro, q. od proxima æstate per magni incendii violentiã dirutum, jam suis habitatoribus restituitur. Exindè Regi Clementissimo gratulor, qvi decantatissimâ sua Gratia, effecit, Ut in Patria nostra Religio floreat vera, Pax vireat læta, Politia firmetur sancta, ingenia expoliantur apta & hæc eruditionis officina sustentetur. O Pium Regem! O Felicem statum! Tibi Clementissime Rex horum fructuosorum semen debetur. Cuius Licentia per totum hunc Orbem ibunt Musæ & ingeneratam Optimi sui Regis pietatem indulgentiamq; Sanctissimam humilimo servitutis debito, æternitati consecrabunt. Tibi demum Amplissime Domine Archipræpositе Gratulor, qvod Tibi ex aliorum officiorum concatenatis negotiis hæ suppetunt vires, qvibus Gymnasii & curam necessariam suscepisti, & dignitatem concinna oratione retexuisti. Deum itaq; ut Tibi largiatur vegetum corpus, valentem animum, vitam longam æternumq; duraturam.

Amplissime Domine Archipræpositе, Avuncule
honoratissime submisse adprecatur
HENRICUS MUNCK

Nullum gaudii genus, nullum svavitatis indicium, nullum inqvam gratulationis intermittitur officium dum Gymnasium hocce Clementissimi Regis

noſtri unqvam ſatis decantanda Clementia renaſcitur, dum ſtudia reviviſcunt, dum *Rectoratus* Inſignia, Tibi Clariſſime Pater, traduntur, imo dum Oratione hac Elegantiſſimâ Muſæum hoc tenebris eripitur, qvin exultantes Sereniſſimo Regi poſt Deum hâc nos felicitatem debere humillimâ confiteamur mente, Symboloque huic per ἀκρόστιχον vota alligamus efficaciſſima, ut Chriſtus Unica Regis Salus Servet *Regem Undecimum Carolum*. Inſuper O Svaviſſime Genitor, qvi jam *Rectoratus* jura adminiſtras, Tua Pax Chriſtus Reqviesqve Roboret Clariſſimum Patrem, ut diu noſtrum Decus, noſtrum gaudium, Felicißer vivas Valeasq;.

â Tuo Obſequentiſſimo Filio
HENRICO PETRI CARSTENIO
Alumn: Gymn: Reg. Wijb.

Maximè Lætatus ſum cum mihi hæc hâc ratione occaſio offerretur gratulandi; *Regi*, qvi paleſtram hanc reſtituit; *Gymnaſio*, qvod Clementiſſimi Regis benigniſſimis ſumptibus poſt funeſtum incendium reſurrexit! *Provinciæ*, quæ Tantæ Gratiæ commodum ex hac Eruditionis officina redundare expectat! *Tibi* Clariſſime Pater, cui hujus conventus moderatio ſub Tanto Rege felicitèr contigit, qvam obrem onus multiplicatum honoris dignitas ſublevabit: *Tibi*, diſcentium multitudo, qvod in hoc ſeminario ſuccreſcere conceſ-

ſum

sum sit; *mihiq;* qui horum omnium particeps videor & Patris Clarissimi me ad hæc adhibentis, cujus ut vota Jugiter succedant det Deus.

ABRAHAMUS PETRI CARSTENIUS.
Gymn. Reg. W. Alumn.

Etsi in aliena Domo oportet surdum & mutum esse, nisi contrarium nitatur autoritate Superioris: tamen cum Laudas Regem nostrum Clementissimum, Laus ea tota Dei est, Pater Summe Venerabilis: quapropter duo admiranda in Rege nostro Serenissimo submisse veneror nempe quod Regi huic uni inter tot Subditos omnes parent & quod Ille Unus Rex tot Hominum ingenia tanta diversitate invicem discrepantia regere & sub unum idemq; iugum cogere potest. Unde in vota humilia solvor, ut ego & reliqui mei fratres scilicet, Iohannes Carstenius, Ulricus Carstenius & Georgius Carstenius *pie & probe adolescamus Te Patre Superstite in Tanti servitium Regis & gaudium Tui. Sit Castellum Unigeniti Salus Regis. Custos Unigenitus Servet Regem Carolum Undecimum Svecia Regem. sit Christus Refugium suorum. quod Symbolum humiliter adposuit.*

PETRUS PETRI CARSTENIUS